

unde feabri evadunt. *Folia* opposita, ovali-lanceolata, lævia, integerrima. *Corymbi* terminales, *floribus* parvis trigynis. *Caulis* punctis eminentibus ut in balearico, sed longioribus, *folia* autem absque *glandulis* mihi manifestis, & *flores* omnino *trigyni* distinguunt a balearico.

74. HYPERICUM (*repens*) floribus trigynis; caule tereti repente; foliis lanceolato-linearibus, obtusis.

*Hypericum* orientale, polygoni folio. *Tourn. cor.* 19.

*Habitat* in Palæstina & adjacentibus. *D. Hasselquist.*

*Descr.* *Radix* perennis & lignosa supra radicem. *Caulis* teretes, filiformes, repentes, ad *genicula* radículas dimittentes. *Folia* lanceolato-linearia, obtusa, integerrima, confertim satis opposita. *Flores* terminales tres, intermedio sessili. *Calyx* & *bractæe* punctis fuscis ad margines adpersi, non vero ferrati.

75. LEONTODON (*lanatum*) foliis ensiformibus, integris, hirsutis; calyce erecto, simplici.

*Chondrilla* altera. *Rauwolf. itin.* 217. t. 217.

*Chondrilla* bulbosa syriaca, foliis latioribus. *Baub. pin.* 131.

*Habitat* in Arabia. *D. Hasselquist.*

*Descr.* *Radix* bulbosa, *Folia* lanceolato-linearia, plurima, digitalia, utrinque lana alba hirsuta, radicalia. *Scapi* foliis paullo longiores, aphylli, in medio sæpe unico foliolo lineari minimo notati, hirsuti. *Flores* magnitudine *Pilosellæ*; *calyce* simplici, æquali, polyphyllo, longitudine fere corollæ, lanato. *Corolla* lutea.

76. HIERACIUM (*tomentosum*) foliis oblongo-ovatis, hirsutis, sessilibus, subdentatis; pedunculis multifloris.

*Hieracium* montanum tomentosum. *Dill, elth.* 181. t. 150. f. 180.

*Habitat* in Europa australi. 24

*Descr.* *Planta* pedalis, tota villis incanis hirsuta, ramosa.

*Folia* ovato-oblonga, obsolete dentata. *Rami* multiflori.

*Calyces* hirsuti.

77. EU-